

De fine creationis. Acta concilii Vaticani. Coll. Lac., VII.

Relatio de schemate constit. dogm. de fide cath. [Simor]  
p. 86a. "Secundaparagraphus huius capituli... quasi nempe  
Ecclesia negaret finem operantis fuisse bonitatem suam,  
sicut catechismus concilii Tridentini dicit, ut nempe  
bonitatem suam creaturis imperitiretur...."

Relatio de emendationibus cap. I. schemat. constit. dogm. [Gasser]  
p. 109d. "... exponitur primo motivum creationis, scilicet  
"bonitate", deinde causa efficiens creationis "omnipotente  
virtute", et demum finis creationis "non ad augendum suam  
beatitudinem, nec ad acquirendam sed ad manifestandam  
perfectionem suam, per bona quae creaturis imperitur."

p. 110d. "Ergo liceat mihi saltem paucissimis verbis ea  
proferre, quae de fine creatoris seu de fine operantis  
sentiam. Dico, quae sentiam: nam Deputatio de fide quidem  
emendationem reiecit, sed deo fateri quod propter angustiam  
temporis res non eo studio ac diligentia fuerit discussa,  
qualis optanda fuisset: proinde possum proponere solummodo  
ea quae sentio.

\* p. III a  
"Si de fine creationis seu de de fine creatoris potius  
sermo est, iuxta nostrum concipiendi modum debemus tres  
in Deo causas distinguere, scilicet causam exemplarem,  
\* causam moventem, et causam efficientem. Causa exemplaris  
est essentia Dei in quantum est imitabilis ad extra; hinc  
creatio est quaedam imitatio Dei ad extra, quaedam manifes-  
tatio eius sempiternae virtutis et bonitatis, sicut dicit  
Apostolus in epistola ad Hebraeos. Hanc manifestationem  
Deus in creando non potest non intendere; nam est actui  
ipsi immanens, qui se habet ex parte obiecti, ut dicunt  
scholastici: ideo iure infertur, manifestationem perfectionis  
divinae finem creationis esse ex parte creantis; sed in  
quantum res considerantur in causa exemplari, sunt solummodo  
creabiles et possibiles. Nam cum Deus sit in se et ex se  
infinite perfectus, imo abyssus perfectionis; haec perfectio  
creando non augetur et non creando non imminuitur. Ut ergo  
res possibiles seu creabiles reapse creentur, recurrendum  
est ad causam moventem seu impellentem, ut Catechismus  
Romanus loquitur: haec causa movens est bonitas Dei quatenus  
Deus est non solummodo imitabilis sicut in causa exemplari,  
sed etiam summe communicativus ~~mi~~ seu, ut s. Thomas loquitur,  
summe diffusivus sui ipsius. Haec bonitas Dei, ut Catechismus  
dicit, impellit, ut ea vocaret ad esse quae non erant,  
et quidem non ea ex causa ut finem aliquem assequeretur,  
quod contradiceret summo agenti Deo; sed ut bona sua  
communicaret, seu ut immensae bonitatis suae, sicut in  
emendatione habetur, ineffabiles divitias liberali sua  
munificentia effunderet per bona creaturis imperita.  
\* p. III b  
Tertia demum causa consideranda in Deo est causa efficiens,  
\* p. III c  
~~san~~ et haec est omnipotentia Dei, seu omnipotens eius  
voluntas ac virtus. Iam videtis, Rmi Patres, cur Deputatio  
de fide hanc emendationem suam facere non potuerit, quia in  
hac emendatione sermo est solummodo de fine movente, non vero  
de fine, qui descendit ex causa exemplari....

p. 116cd. canon de fine creati, de fine creaturae; reicitur  
emendatio "ex causas quas iam attuli, ubi agebatur de fine  
creatoris, et quas deberem repetere multo magis hic loci,  
ubi agitur de fine creaturae, sive de fine creati."